UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ, Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 3. Principium 3. In dubio melior est Conditio possidentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-48233

Visual Library

Tan. Ovied. Lugonis, Amici, Lezaniæ, & plurium alio-
rum apud & cum Franſciſco Bardi diſcept. 4. de conſc. c.
n. 5.

Ratio.

Quia, cùm opinio probabilis ſit dictamen rationi con-
forme (alioqui enim probabilis opinio non foret) hoc ipſo,
qui illam ſequitur, prudenter agere, & ex conſequenti nec
peccare cenſendus eſt; dummodo non ſit nimis tenuis pro-
babilitas, aut in materia Sacramentorum, vel judicii verſe-
tur, tunc enim non licet juxta decretum Innocentii X,
1679. 2. Mart. editum ſententiam quantumcunque probabi-
lem relictâ probabiliore ſequi.

Praxis.

Hinc deducitur 1. eum, qui probabiliter putat, ſe habe-
re jurisdictionem, licitè eam exercere, uti Sanch. Leſſ. Ferd. de
Castro, Fill. Villalob. Coninck. Henriq. apud & cum Fran-
ciſco Bardi diſc. 4. c. 17. n. 2. docent.

Deducitur 2. Doctorem non eſſe obligatum reſpondere
ſecundum ſuam opinionem magis probabilem, ſed ſatisfacere ſuo
officio, ſi juxta probabilem aliquam opinionem reſpondeat,
uti Sanch. Becan. Regin. Bonac. Jo. Sancius & alii apud & cum
Bardi l. c. c. 20. n. 2. ſentiunt.

Deducitur 3. Opinionem unius Doctoris, qui ob ratio-
nem probabilem favet Matrimonio jam contracto, poſſe opi-
nioni reliquorum Doctorum aliud opinantium præferri, uti
Sanchez l. 2. de matrim. d. 36. docet.

§. III.

PRINCIPIUM III.

In dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Senſus.

Hoc eſt, quando neutra pars, quæ de aliqua re litigat,
oſtendere poteſt probabilibus argumentis, rem illam ſibi de-
beri; aut certè probabilitas argumentorum utrobique eſt
æqualis, tum illi res adſcribenda eſt, qui actu illam bona fide
poſſidet.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Authoritas.

Deſumptum eſt ex l. 6. decret. ult. re. 65. ubi dicitur: *In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis.* Habetur etiam in reg. 172. & 196. ff. Item in le. ſi debitor. ro. de pignor. illudque refert Barboſa axiom. 182. cum innumeris aliis.

Ratio.

Quia, cùm nemo præſumatur malus, atque adeò nec rem aliquam illegitimè poſſidere, ipſa ratio dictat, non eſſe ipſum de hac ſua poſſeſſione dejiciendum, donec efficacibus rationibus probetur, rem illam, non ipſi, ſed alteri competere.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui dubitat, num votum emiſerit, non obligari illo, uti plurimi docent apud Bardi diſcep. 6. c. 1. §. 1.

Deducitur 2. Eum, qui dubius eſt, num commiſerit peccatum mortale, non eſſe obligatum ad illud confitendum. Ita Coninck. d. 7. de pœn. du. 8. Caramuel & alii apud Bardi l. c. c. 11. p. 4. §. 1. & Dian. p. 4. tr. 3. re 5.

Deducitur 3. Eum, qui dubitat, num vigeſimum primum annum attigerit, non teneri Jejunii lege, quia libertas eſt in poſſeſſione. Contrà verò ſe res habet, ſi quis dubitet de ætate ad Sacras Ordines requiſita, quia præſumptio & poſſeſſio eſt pro Præcepto, uti Laym. Sanch. apud & cum Buſemb. l. c. tr. 1. c. 2. ſentiunt.

§. IV.

PRINCIPIUM IV.

Dubia in meliorem partem interpretanda ſunt.

Senſus.

Hoc eſt, quando non certò conſtat, aliquem in Legem